310.

Dr. Vladimír Balthasar:

DE NOVIS GENERIS *APHODIUS* ILLIG. SPECIEBUS.

[Contributio 79. ad cognitionem Scarabaeidarum (Col.).]

V následujících řádcích přináším popisy nových druhů rodu *Aphodius* ILLIG., z největší části již po delší dobu nalézajících se v mých materiálech, z menší pocházejících z materiálů pražského entomologa p. Z. TESAŘE a mnichovského entomologa, konsula GUSTAVA FREYE. Oběma děkuji na tomto místě srdečně za laskavé přenechání dokladových typických exemplářů.

*

Novae species, quarum diagnosae hoc loco publico, ex maxima parte iam longe in mea collectione inveniuntur, ex parte minore autem originum a materialiis collectionum Dom. Cons. G. FREY (Monachium) et ZD. TESAŘ (Praga) trahunt. Dominis supra dictis pro speciminibus typicis mihi benevolentissime concessis, hoc loco gratias libenter ago.

*

Aphodius (Pharaphodius) sundaicus n. sp.

Elongato-ovatus, convexus, nitidus, glaber, capite thoraceque obscure brunneo, capite antice et thorace secundum marginem ferrugineo, elytris spadiceis vel obscure rufo-brunneis, pedibus concoloribus, tarsis pallidioribus.

Capite inerme, minute, haud dense, sed manifeste punctato, clypeo antice truncato, levissime emarginato, lateribus rotundato, medio ante suturam frontalem levissime gibboso, eodem loco magis minute et sparsius punctato, genis rotundatis, oculos superantibus, linea frontali paulo distincta, vertice punctis non nihil crassioribus. Thorace disco remote, lateribus sensim densius punctato (apud ♀ generatim densius punctato), punctis inaequalibus, minutis et maioribus immixtis, lateribus (superne visis) antrorsum leviter rotundatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi immarginata. Scutello subtriangulari, a basi usque fere ad medium subparallelo. Elytris sine dente humerali, summam latitudinem pone medium attingentibus, crenato-striatis, punctis striarum transversis, striis in parte apicali manifeste profundioribus eodemque loco fere impunctatis, interstitiis antice mediocriter, postice valde convexis, omnibus marginem posteriorem elytrorum attingentibus. Abdomine pilis longis, flavis, suberrectis, ornato. Tibiis anticis extus tridentatis, ad basim serrulatis, tibiis posticis apice setis validis, fere aequilongis

munitis, calcaribus apicalibus inter se subaequalibus, metatarso calcari superiori aequilongo, tribus articulis sequentibus breviore. Antennis flavoferrugineis.

Long.: 4,5—5 mm.

Patria: Insulae Sundaicae, Celebes septentr.: Toli-Toli. (H. FRUHSTORFER leg.)

Typi (1 ♂ et 1 ♀) in collectione mea.

Haec nova species *Aphodio* (*Pharaphodio*) *orientali* HAR., qui item hanc insulam incolit, valde proxime est, sed ab illa genis rotundatis, scutello non impresso, striis antice manifeste crenato-punctatis, setis tibiarum posticarum aequilongis et metatarso tribus articulis sequentibus breviore differt.

Aphodius (Ammoecius) catulus n. sp.

Corpore convexo, robusto, breviter ovato, elytris pone medium manifeste ampliatis. Piceus, nitidus, glaber.

Capite convexo, antrorsum abrupte declivo, subtiliter et sat sparse punctato, punctis nonnullis paulo maioribus intermixtis, nec ruguloso, nec granulato, carina clypeali longa, leviter arcuata, linea frontali impressa, medio leviter sinuata, clypeo medio distincte emarginato, utrimque angulatim rotundato, genis parvis, rotundatis, nonnihil prominulis. Thorace subtilissime et sparse punctulato, punctis maioribus sat magnis, praecipue ad basim et ad latera numerosis, intermixtis, sed secundum marginem iterum rarioribus, lateribus (superne visis) leviter rotundatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi fortiter marginato, vix perspicue bisinuato. Scutello parvo, triangulari, impunctato, ad apicem medio elevato. Elytris sine denticulo humerali, striis profundis, minute, non crenate punctatis, apicem versus magis impressis, latioribus, subtilissime submarginatis, interstitiis antice parum, postice fortiter convexis, subtilissime, sparse punctulatis, interstitio 5°, 6°, 8° et 9° insigniter abbreviatis, interstitio 7° usque ad extremum marginem apicalem prolongato. Femoribus posticis validis, tibiis anticis extus tridentatis, dein serrulatis, calcari apicali acuminato, leviter arcuato, tibiis posticis apice setis brevis, sed evidenter inaequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori paulo breviore, duobus articulis sequentibus aequilongo. Abdomine pilis paulo errectis ornato. Antennis clava obscura.

Long.: 3,5 mm.

Patria: Africa austr., Caffraria, sine indicatione loci.

Typus (versimiliter ♂) in mea collectione.

De ceteris speciebus subgeneris *Ammoecius* haec species propter caput suum nec rugulosum, nec granulatum, propter strias minute punctatas, interstitia omnia aequaliter convexa admodum faciliter discernenda est. Usque ad hodiernum diem quinque species ex Africa australi nobis cognitae sunt: *A. bidentulus* HAR., *A. armaticeps* PÉR., *A. denticrus* PÉR., *A. spectabilis* PÉR. et *A. tricarinulatus* S. SCHM., ex quarum tres priores clypeo bi- vel quadridentato, species duae ultimae interstitiis alternatim convexis a specie nova primo visu discrepant.

Aphodius (Platyderides) pugil n. sp.

Oblongo-ovatus, nitidus, glaber, solum elytris apice extremo pilis minutissimis, vix perspicuis, ornatis. Capite thoraceque fusco-brunneis, limbo thoracis pallide ferrugineo excepto, scutello et elytris fulvobrunneis, sutura versus apicem nigrescente. Subtus obscure brunneus, femoribus tibiisque pallide-ferrugineis, illis paulo obscurioribus, tarsis concoloribus.

Capite lato, plano, minutissime et sparse punctulato, clypeo antice admodum late truncato, integro, manifeste et regulariter marginato, genis triangularibus, acutis, pilis longis, flavis instructis, occulos valde superantibus. Fronte inerme, sutura frontali vix apparente. Thorace parum convexo, ad latera paulo deplanato, secundum angulos posticos manifeste impresso, lateribus crasse marginato, longe, pallide ciliato, basi non marginata, bisinuata, versus scutellum late lobata. Omnino vage minuteque punctatus. Scutello triangulari, basim punctato. Elytris humeris leviter spinulosis, subtiliter striatis, striis punctis minutissimis, vix perspicuis instructis, interstitiis leviter convexis, minutissime, inordinate laxeque punctulatis. Tibiis anterioribus extus tridentatis, ad basim paulo crenulatis, tibiis posticis apice setis longis inaequalibus munitis, tarsis insigniter longis et gracilibus, metatarso calcari apicali superiori subaequilongo, duobus articulis sequentibus manifeste longiore. Clava antennarum sordide lutea.

Long.: 6,5 mm.

Patria: Mexico, sine indicatione loci.

Typus (♂) in collectione mea.

Haec nova species *Aphodio luteolo* Horn maxime proxima videtur, sed ab illa specie, clypeo non emarginato, genis validioribus, thoracis angulis posticis non truncatis, linea media defficiente, striis vix perspicum punctatis, metatarso tribus articulis sequentibus non aequilongo et statura validiore divergens.

Aphodius (Phalacronothus) avunculus n. sp.

Elongato-ovatus, elytris fere parrallelis, pone medium paululo subinflatis. Brunneus, capite antice at thorace lateribus sordide fulvescentibus, capite et thorace subopaco, elytris magis opacis, secundum marginem et apice vix perspicue pilosulis. Subtus brunneus, pedibus fulvoferrugineis.

Capite inermi, regulariter dense punctato, punctis haud minutis, clypeo antice truncato, levissime subemarginato, medio ante sutura frontali distincta vix perspicue elevato, genis rotundatis, oculos paulum superantibus. Thorace omnino satis dense punctato, punctis maioribus etiam disco immixtis (differentia inter haec et illa satis obscura est), lateribus, superne visis, fere rectis, angulis posticis oblique truncatis, basi minutissime marginata, una serie punctorum maiorum ornata. Scutello parvo, parte basali vix parallela, impunctata. Elytris opacis, alutaceis, dente humerali vix perspicuo, striis distinctis, punctatis, apicem versus magis impressis et impunctatis, punctis in interstitia leviter penetrantibus. Interstitiis subplanis, levissime seriatim punctatis (series punctorum striis approximatae). Abdomine subtiliter punctato,

pilis minutis flavis ornato. Tibiis anticis extus tridentatis, ad basim non serrulatis, tibiis posticis carinis transversis satis obsoletis, apice setis inaequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori manifeste longiore, tribus articulis sequentibus breviore. Clava antennarum fulva.

Long.: 3 mm.

Patria: India orient., Madras.

Typus in collectione mea.

Ab *Aphodio* (*Ph.*) *carinulato* MOTSCH., qui in iisdem regionibus ocurrit, statura magis minuta, capite antrorsum magis angustato, thorace densius punctato, lateribus eiusdem rectis, interstitiis elytrorum seriatim punctulatis, elytris manifeste opacioribus, etc. differt.

Aphodius (Volinus) propola n. sp.

Oblongus, modice convexus, elytris perparum ampliatis, nitidus, glaber, elytrorum apice solum pilis pallidis, minutissimis et brevissimis ornoto. Capite thoraceque piceo, capite antice et lateribus rubrescente limbato, thorace tantum angulis anterioribus rubrescentibus, elytris flavis, maculis obscure brunneis, interdum subconfluentibus, ornatis. Dispositio macularum, uti sequitur: Scutellum et interstitium suturale omnino nigrescente, interstitium 3. vitta longa praemediali, interdum pone medium elytrorum interrupta, interstitium 4. vitta una breviore, ante medium posita, interstitium 5. vittis duabus, quarum una basalis, interstitium 6. vel immaculatum, vel una vitta fere medio posita, interst. 7. et 8., ex parte etiam 9. vittis longis ornata sunt. Preterea una macula transversali, praeapicali, lunae dimidiatae simili elytra utrimque occupata sunt. Subtus brunneus, pedibus obscure fulvis, tibiis paulo obscurioribus.

♂ Capite omnino sat crebre, modice grosse, regulariter et non rugulose punctato, trituberculato, tuberculis distinctis, haud validis, lateralibus transversis. Clypeo leniter emarginato, utrimque late rotundato, genis prominulis, rotundatis. Thorace sparse, sat minute, fere aequaliter punctato, lateribus, insuper visis, modice arcuatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi marginata. Scutello lato triangulari, sparse distincteque punctato. Elytris distincte, sed subtiliter punctato-striatis, punctis in interstitia paululo tantum penetrantibus, interstitiis leviter convexis, biseriatim sparse, minutissime punctulatis, series punctulorum striis adiacentes, interstitio primo ante apicem profunde impresso. Tibiis anterioribus extus tridentatis, dein ad basim subtiliter serrulatis, calcari apicali normaliter arcuato, acuminato, tibiis posticis apice inaequaliter setosis, metatarso calcari apicali superiori et duobus articulis sequentibus longitudine aequali. Clava antennarum brunnea.

♀ mari similis, sed corpore paululo graciliore, capite crassius punctato, tuberculis minus distinctis, thorace fortiter convexo, disco item aequaliter punctato.

Long.: 4 mm.

Patria: Turkestan, pagus Sussamyr (♂) et Buchara orient., Tschitschantan (♀).

Typi in collectione Dom. G. FREY (Monachium) et in collectione mea.

Haec nova species ob structuram capitis non rugulosam, sed distincte punctatam, caput trituberculatum et ob dispositionem vittarum de ceteris speciebus mesasiaticis bene distincta est.

Aphodius (Nobius) diens n. sp.

Oblongo-ovatus, sat fortiter convexus, nitidus, glaber (elytris apice et lateribus minutissime et sparse pilosis), capite thoraceque obscure brunneo, clypeo utrimque ante genas una macula flava, thorace lateribus late, basi anguste et minus distincte flavolimbato, elytris fulvis, una plaga clare brunnea, nebulosa, callum humerale, interstitium primum et secundum, latera et apicem non obtegente, ornatis, striis non obscurioribus, sutura extrema tantum nigrescente. Subtus brunneus, pedibus flavoferrugineis.

Capite antice densius, fere rugulose, postice minute et sparsius punctato, medio longitudinaliter leviter elevato, fronte inermi, linea frontali distincta, impressa, sinuata. Clypeo antrorsum levissime arcuato, medio leviter emarginato, utrimque rotundato, genis parvis, nec prominulis, vix oculos superantibus. Thorace sparse, minute omnino punctulato, punctis paulo maioribus intermixtis, lateribus, superne visis, leviter rotundatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi tenue marginata. Scutello triangulari, ad basim sparse punctato. Elytris absque denticulis humeralibus, fortiter striatis, striis crenato-punctatis, apicem versus vix punctatis, stria iuxtasuturali apice profunde impressa, interstitiis leviter convexis, minutissime reticulatis, subtiliter et sparse, sed distincte punctatis. Abdomine pilis longis, sparsis, ferre errectis instructo. Tibiis anticis extus tridentatis, ad basim distincte serrulatis, tibiis posticis setis inaequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori subaequilongo, duobus articulis sequentibus paulo longiore. Antennis clava brunnea.

Long.: 4,6 mm.

Patria: Promontorium Bonae Spei.

Typus (versimiliter ♀) in collectione mea.

Aphodio (*N.*) *innocenti* Ad. Schm. similis, sed ille capite et thorace clarius colorato, capite subtilius punctato, elytris minute striatis, metatarso calcari apicali longiore et tribus articulis sequentibus aequilongo a specie nova discrepat.

Aphodius (Blackburneus) iringanus n. sp.

Oblongoovatus, convexus, nitidus, glaber, supra et subtus fulvobrunneus, vertice et disco thoracis obsuriore, spadiceo, pedibus pallidioribus, fulvis.

Capite inermi, medio leviter convexo, omnino minute, sat dense punctato, vertice punctis nonnullis paulo maioribus intermixtis, linea frontali vix perspicua, clypeo antrorsum fortiter angustato, lateribus fere rectis, antice emarginato, utrimque late rotundato, genis vix prominulis. Thorace minutissime et remote punctulato, ad basim, praecipue autem ad latera punctis maioribus numerosis intermixtis, lateribus, superne visis, antice rotundatis, postice fere rectis, angulis posticis fere oblique truncatis, basi non marginata, medio leviter sublobata, utrimque

leviter sinuata. Scutello subconvexo, anguste triangulari, remote punctulato. Elytris tenuiter punctato striatis, interstitiis propterea marginibus fere intactis, subconvexiusculis, remote minutissimeque punctulatis, apice subtilissime reticulatis et opacis. Tibiis anticis validis, extus tridentatis, ad basim subtiliter serrulatis, calcari apicali acuminato, leviter arcuato, tibiis posticis apice setis inaequalibus munitis, metatarso calcari superiori et tribus articulis sequentibus manifeste longiore. Antennis clava lutea.

Long.: 3,6 mm.

Patria: Africa orient., Tanganjika-Territorium: Iringa.

Typus in collectione mea.

Haec nova species *Aphodio* (*B.*) *badio* Boh., *A. testaceicolori* Balth. et *A. ghindano* G. Müll. affinis est, sed statura robustiore et maiore iam primo visu faciliter discernenda est.

Occasione data commemorare volo, *Aphodium* (*B.*) *testaceicolorem* Balth. in tabella synoptica a Dom. R. Paulian conscripta (Explor. Parc. Nat. Albert, Miss. Witte, Fasc. 35, Bruxelles 1942, p. 75) false inter species obscure brunneas vel piceas enumeratum esse, quamquam iam secundum nominem suum (testaceicolor) ad species supra ferrugineas, fulvas vel testaceas evidenter pertinet.

Aphodius* (*Amidorus*) *monticustos n. sp.

Oblongo-ovatus, niger, pedibus obscure brunneis, capite thoraceque nitido, elytris subopacis, distincte alutaceis, convexis, summam latitudinem pone medium attingentibus, glabris, solum ad apicem et ad latera pilis minutissimis, vix perspicuis, pallidis ornatis.

Capite omnino sat dense punctato, punctis minutis at manifestis, antice paulo densioribus et crassioribus, medio subgibboso et ibi multo parcius punctulato, clypeo trapeziformi, antice subemarginato, utrimque late rotundato, lateribus fere rectis, genis prominulis, obtusis, setis pallidis munitis, oculos manifeste superantibus. Fronte vix perspicue trituberculata, tuberculis transversis, interdum fere absentibus. Thorace minute, sat crebre punctato, punctis paulo maioribus, numerosis, praecipue ad latera intermixtis, lateribus antice rotundatis, postice (insuper visis) fere rectis et paululum ad basim divergentibus, angulis posticis rotundatis, basi anguste, sed manifeste marginata. Scutellum triangulare, latum, basi distincte, sat dense punctato. Elytra sine denticulo humerale, tenuiter striata, striis leviter, apice obsolete punctatis, stria prima ibidem non profundiore, interstitiis omnino planis, alutaceis, irregulariter, minute, sed manifeste, sat dense punctatis, apicem versus fere rugulosis, impunctatis. Interstitium primum apice nec angustatum, nec impressum. Tibiis anterioribus extus tridentatis, ad basim serrulatis, calcare acuminato, leviter curvato, tibiis posticis apice setis inaequalibus ornatis, metatarso calcari apicali superiori et tribus articulis sequentibus unitis subaequilongo. Antennis brunneis, clava nigricante.

Long.: 7—8 mm.

Patria: Caucasus bor., mons Elbrus, 10.000 ped. s. m. E. Koenig leg.

Ante oculos 4 specimina (♂) habeo, quae in collectione Dom. G. Frey (Monachium) et in collectione mea inveniuntur.

Haec nova species *Aphodio* (*Amidoro*) *cribrario* et *Aph.* (*A.*) *thermicolae* maxime proxima videtur, sed ab illis capite sparsius et tenuius punctato et minus gibboso, thorace dispersius punctato, elytris tenuiter striatis, etc. discrepat. Novae speciei sculptura elytrorum omnino differens apparet, nam interstitia specierum nominatarum punctis validioribus, densissimis et fere longitudinaliter confluentibus ornata sunt.

Preterea in collectione mea unum specimen illis maxime proximum, ex iisdem locis et ab eodem entomologo collectum invenitur. Puto ergo optimo jure, unam feminam speciei praecedentis ante oculos habere. Ista a maribus, ut sequitur, differt:

Capite et thorace manifeste densius et profundius punctato, marginibus thoracis, etiam ex latere visis, pone medium rectis, interstitiis elytrorum subconvexis, densius et fortius, etiam apice punctatis, striis apice paulo magis impressis.

Aphodius (Pseudagolius) ukrainicus n. sp.

Oblongo-ovatus, corpore robusto, valde convexus, pernitidus, glaber (apice elytrorum extreme solum pilis subtilissimis, vix perspicuis ornato), piceus, clypeus antice, thorax ad margines laterales et elytra margine apicali extremo indistincte rufescentia, pedes omnino brunnei, tarsi anteriores ferruginei.

Capite omnino punctato, punctis sat densis, mediocriter crassis (elevatio media solum paulo subtiliter punctata), clypeo manifeste reflexo, medio leviter emarginato, utrimque dentiforme acuteangulato, ad genas margine fere recto, genis rotundatis, excavatis, manifeste prominulis, fronte linea distincta, tuberculis parvis et valde indistinctis instructa, gibbositate clypeali ruga transversa, obscura munita. Thorace minutissime, admodum remote punctulato, ad latera et ad basim punctis maioribus sparsis immixtis, lateribus longe, pallide fimbriatis, distincte marginatis, basi marginata, angulis posticis fere oblique truncatis. Scutello triangulari, angusto, parte basali copiose punctato. Elytris absque dentibus humeralibus, striis manifestis, apicem versus dilatatis, profundioribusque, sed punctis tantum minutis ornatis. Interstitiis usque ad medium fere planis, apicem versus distincte convexis, subtilissime et sparse punctulatis, etiam apice nitidis. Tibiis anticis validis, extus tridentatis, ad basim irregulariter serrulatis, calcare arcuato, apice abrupte truncato et extrorsum spinuloso. Tibiis intermediis calcare inferiori abbreviato, distincte inflexo, tibiis posticics carinis transversis validis instructis, apice setis inaequalibus munitis, metatarso calcari superiori longiore, articulis tribus sequentibus aequilongo. Abdomine pilis longis, fulvis, suberrectis instructo. Antennis fulvoferrugineis, clava obscuriore.

Long.: 6,5 mm.

Patria: Rossia merid., Ukraina: Berdičev. In stercore vaccarum.

Typus (♂) in collectione mea.

Haec nova species iam ob clypeum utrimque dentiforme angulatum ab omnibus speciebus regionis palaearcticae discrepat, quam ob rem comparatio ceteris speciebus palaearcticis inutilis videtur.

Aphodius (Pseudacrossus) absconditus BALTH.

Hanc speciem suo tempore ut aberratio coloris speciei *Aph.* (*Ps.*) *pfefferi* m. per errorem descripsi. Examinatio accurata speciminum multorum, tempore supremo aquisitorum, mihi indicare permittit, *Aph.* (*Ps.*) *pfefferi* m. synonymon simplex *Aph.* (*Bodili*) *aquilli* AD. SCHM. esse, *A. pfefferi* ab. *versabilis* m. dein *Aphodio aquillo* ab. *bello* AD. SCHM. aequat. Contra *Aph.* (*Ps.*) *pfefferi* ab. *absconditus* m. una species bene distincta et autonoma est, propterea redescriptio nova, magis copiosa, necessaria apparet.

Oblongo-ovatus, modice convexus, glaber, capite thoraceque nitidis, piceis, capite antice et thorace lateribus late fulvolimbatis, elytris minus nitidis, apice opacis, fulvo brunneis, scutello et sutura extrema elytrorum obscuriore, subtus brunneus, tibiis clarioribus, tarsis ferrugineis.

Capite antice minute, fere regulariter et sat sparse, vertice minutissime punctato, medio leviter elevato, et eodem loco subtilius punctato, linea frontali trituberculata, tuberculo medio magis elevato, apice a tergo exciso, tuberculis lateralibus minus elevatis, transversis. Genis rotundatis, prominulis, oculos paulo superantibus, clypeo antice levissime sinuato, utrimque late rotundato. Thorace subtilissime et sparse punctulato, punctis maioribus apud ♂ solum ad latera, apud ♀ ex parte etiam disco intermixtis, callo laterali laevigato, lateribus, superne visis, leviter rotundatis, distincte marginatis, pallide fimbriatis, basi subtilius marginata, angulis posticis distinctis, rotundatis. Scutello late triangulari, distincte punctato. Elytris sine denticulo humerali, sat valide striatis, striis punctis transversis, in interstitia vix penetrantibus, instructis, apicem versus obsolete punctatis, paulo abbreviatis, interstitiis antice leviter, postice magis convexis, subtilissime reticulatis et minutissime punctulatis, punctis secundum strias frequentioribus. Abdomine pilis longis pallidis instructo. Tibiis anticis extus tridentatis, dein ad basim serrulatis, subtus margine interno denticulo praemediali instructis, calcari apicali valido, acuminato, tibiis posticis apice setis inaequalibus munitis, metatarso calcari superiori aequilongo, tribus articulis sequentibus breviore. Antennis clava obscure brunnea.

Long.: 6 mm.

Patria: China, Prov. Szetschwan, Montes Yunling et Prov. Hupeh, Montes Wu-Shan.

Typi (♂♀) in collectione mea.

Habito suo generali *Aph.* (*Ps.*) *barbaro* FAIRM. ex Mediterrannea occid. valde similis, sed statura graciliore, capite, thorace elytrisque magnopere subtilius et sparsius punctatis, metatarso calcari apicali aequilongo, etc. primo visu differens.

Aphodius (Esymaphodius) gilvipennis n. sp.

Oblongo-ovatus, convexus, glaber, pernitidus, capite antice ferrugineo, postice piceo, thorace disco piceo, lateribus late luteolimbatis, elytris et epipleuris fulvis, scutello et interstitio primo ferrugineo, sutura obscure brunnea, subtus fulvo-brunneus, abdomine et pygidio luteolo.

Capite sat sparse, minute, antice subtilissime punctato, clypeo antrorsum fortiter angustato, lateribus rectis, medio late, sed distincte emarginato, utrimque obtuse angulato, subdenticulato, medio breviter, transverse gibboso, genis rotundatis, oculos manifeste superantibus, linea frontali subelevata. Thorace minute, aequaliter et regulariter punctato, lateribus (superne visis) antrorsum leviter rotundatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi subtiliter marginata. Scutello antice parallelo, sparse punctulato. Elytris sine denticulis humeralis, pone medium distincte ampliatis, subtiliter et tenue punctato-striatis, punctis minutis, interstitiis planis, ante apicem subconvexiusculis, minutissime et sparse punctulatis, lateribus et apice distinctius punctatis, interstitio juxtasuturali apice sat profunde impresso. Abdomine pilis longis suberrectis numerosis, pallidis vestito. Tibiis anticis extus valide tridentatis, dein ad basim indistincte serrulatis, tibiis posticis apice inaequaliter setosis, metatarso calcari superiori et duobus articulis sequentibus manifeste breviore. Antennis ferrugineis, clava fulva.

Long.: 4 mm.

Patria: Turkestan, Uzbekistan: Taschkent.

Typus in collectione mea.

Haec nova species *Aphodio* (*E.*) *leucopteri* Klug et *A.* (*E.*) *kisilkumi* Solsky, maxime vicina apparet, sed propter caput suum minute, antice subtilissime punctulatum et ob puncturam thoracis aequalem et regularem primo visu bene cognoscenda est.

Aphodius* (*Mesontoplatys*) *mungo n. sp.

Elongatus, convexus, glaber, pernitidus, capite ferrugineo, postice brunneo, thorace brunneo, lateribus late fulvolimbatis, elytris fulvobrunneis, una plaga triangulari communi, cuius basis utrimque 1.—4. interstitium occupat, ornatis, scutello brunneo. Subtus fulvobrunneus, pedibus fulvis.

Capite inermi, minutissime sparsissimeque punctulato, medio elevato, linea frontali tenuissime impressa, clypeo antice leniter emarginato, utrimque rotundato, et leviter reflexo, genis parvis, oculos non superantibus. Thorace disco fere laevi, versus latera sparse subtilissimeque punctulato, punctis nonnullis paululo maioribus intermixtis, lateribus, superne visis, leviter rotundatis, angulis posticis rotundatis, basi subtiliter marginata. Scutello antice parallelo, laevi. Elytris absque denticulo humerali, subtiliter et tenuiter striatis minutissime punctulatis, interstitiis planis, vix perspicue, sparsissime punctulatis. Tibiis anticis extus longe tridentatis, ad basim indistincte serrulatis, tibiis posticis apice setis inaequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori subaequilongo, duobus articulis sequentibus breviore. Antennis ferrugineis, clava straminea.

Long.: 3 mm.

Patria: India orient., Madras.

Typus (♂) in collectione mea.

Ab duabus speciebus huius subgeneris, quae Indiam Orientalem incolunt, haec nova species, ut tabella dichotomica demonstrat, differt:

1 Capite dense vel densissime punctato, punctis bene distinctis, thorace minute punctato, punctis distincte maioribus, numerosis (etiam disco) intermixtis, angulis posticis paulo truncatis, elytris humeris subdenticulatis, metatarso calcari superiori valde longiore, tribus articulis sequentibus aequilongo. Long. 3—4 mm. — India or., Ceylon, Java ..... *ovatulus* HAR.

— Capite sparsissime vel non dense punctulato, thorace angulis rotundatis, elytris sine denticulo humerali, metatarso tantum duobus articulis sequentibus aequilongo vel breviore 2

2 Capite sparsissime, vix distincte punctulato, thorace disco fere laevi, punctis nonnullis paulo maioribus intermixtis, clypeo utrimque late rotundato, leniter emarginato, elytris striis indistincte punctatis, metatarso duobus articulis sequentibus breviore. Long. 3 mm. — India orient. ..... *mungo* n. sp.

— Capite sat dense, distincta punctato, thorace disco evidenter punctato, punctis plurimis valde maioribus, praecipue ad latera intermixtis. Clypeo profundius emarginato, utrimque sublobato, elytris striis distincte subcrenato-punctatis, metatarso duobus articulis sequentibus aequilongo. Long. 2,5—3 mm. — India Orient., Madagascar, Africa orient. ..... *dorsalis* KLUG.

Aphodius (Agrilinus) pirinensis n. sp.

Corpore oblongo-ovato, elytris pone medium distincte ampliatis, nitidus, glaber, niger, thorace marginibus indistincte rubrescentibus, elytris margine laterali, praesertim autem apice brunneo-ferrugineis, epipleuris fulvobrunneis. Subtus piceus, pedibus brunneis, tarsis obscure ferrugineis.

Capite antice dense, sat fortiter et parum rugose, medio minus dense et minute, vertice minute remoteque punctato, clypeo antrorsum angustato, antice medio leviter emarginato, utrimque late rotundato, ruga praefrontali transversa minus distincta, linea frontali paululo elevata et indistincte trituberculata, genis subrotundatis, oculos tantum paulo superantibus. Thorace remote, subtilissime punctulato, punctis maioribus haud multis praecipue ad latera intermixtis, lateribus — superne visis —, rotundatis, angulis posticis obtuse rotundatis, basi distincte marginata. Scutello triangulari sed angusto, disperse punctulato. Elytris sine denticulo humerali, subtiliter et tenuiter striatis, punctis vix in margines interstitiorum penetrantibus, stria juxtasuturali apice magis impressa, interstitiis subconvexiusculis, apice omnino nitidis, remote subtilissimeque punctulatis, apice et lateribus punctis paulo distinctioribus, epipleuris fere extrorsum versis et interstitium XI. imitandis. Tibiis anticis extus tridentatis, dein leviter serrulatis, calcari apicali valido, leviter recurvo, acuminato, tibiis posticis apice setis aequilongis munitis, metatarso calcari apicali superiori et duobus articulis sequentibus breviore. Antennis clava brunnea.

Long.: 4,8 mm.

Patria: Bulgaria (Macedonia), Montes Pirin. ANT. PFEFFER, VI. 1929 legit.

Typus (versimilter ♂) in collectione mea.

Haec species parum insignis *Aphodio* (*Agrilino*) *constanti* Duft. proxime vicina est et versimiliter illi speciei conveniens putabatur, sed ab ea clypeo utrimque minus late rotundato, ruga transversa breviori et minus distincta, thorace generatim subtiliter punctato, scutello angustato, elytris magis subtiliter punctatostriatis, metatarso distincte breviore, etc. bene distincta est. Praeterea *A. constans* corpore maiore et robustiore a specie nova primo visu discrepat.

Aphodius (Agrilinus) bardus n. sp.

Oblongus, modice convexus, elytris pone medium subampliatis, nitidus, glaber, piceus, capite anguste, thorace elytrisque lateribus late rubro-brunneo-limbatis, apice etiam decoloratis. Subtus brunneus, pedibus obscure brunneis, femoribus posticis pallidioribus, tarsis ferrugineis.

Capite sat dense, minute punctato, punctis paulo maioribus numerosis intermixtis, vertice sat sparse, tenuiter punctato. Clypeo leniter emarginato, utrimque lato rotundato, sine ruga transversali, genis parvis rotundatis, vix prominulis, linea frontali trituberculata, tuberculo medio sat valido, tuberculis lateralibus transversis, minus elevatis. Thorace subtilissime remoteque punctulato, punctis manifeste maioribus ad latera intermixtis, callis lateralibus et disco fere absque punctura crassa, lateribus (insuper visis) rotundatis, angulis posticis rotundatis, basi subtiliter marginata. Scutello triangulari, angustato, parte basali lateribus fere parallelis, eodem loco sparse punctato. Elytris sine dente humerali, modice crasse striatis, punctis striarum tantum parte basali leviter in interstitia penetrantibus, stria iuxtasuturali apice profundiore, interititiis leviter convexis, remote minutissimeque punctulatis, apice extremo subtilissime reticulatis, ibidem paululo subopacis, interstitio 6° ad basim manifeste dilatato. Abdomine punctulato, pallide piloso. Tibiis anticis extus longe tridentatis, dein ad basim manifeste serrulatis, calcari apicali leviter recurvato, obtuse acuminato, femoribus posticis validis, tibiis posticis apice setis aequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori et duobus articulis sequentibus subaequilongo. Antennis brunneis, clava nigrescente.

Long.: 4,8 mm.

Patria: Mandshukuo (sine indicatione loci).

Typus (♂) in collectione mea.

Tabella dichotomica abbreviata subgeneris *Agrilinus* ex Asia orientali palaearctica positionem systematicam huius speciei novae optime nobis demonstrat:

1 Species clypeo dentato vel acuteangulato 2

— Species clypeo utrimque rotundato 4

2 Piceus, elytris maculis rubris, in duobus seriebus transversis dispositis, praeterea duobus maculis basalibus et una macula praeapicali ornatis, interstitiis elytrorum subconvexis, subtiliter punctulatis. Metatarso calcari apicali longiore. Long. 5 mm. — China. (D. Ent. Z., 1910, p. 358.) ..... *spinulosus* Ad. Schm.

— Niger vel piceus, elytris immaculatis, tantum apice sordide brunneis vel rubrescentibus, disco thoracis fere aequaliter, dense punctato, denticulo humerali distincto 3

3 Corpore minore (5 mm), elytris haud opacis, interstitiis planis, apice et lateribus densius et fortius punctatis, metatarso calcari apicali breviore. — Turkestania sinica (Verh. Ver. Brünn, 30, 1892, p. 196). ..... *punctator* Reitt.

— Corpore maiore (6—7 mm), elytris distincte reticulatis, praecipue parte dimidia apicali peropacis, eodem loco impunctatis, striis nitidis, interstitiis planis, metatarso calcari apicali longiore. — (W. Ent. Ztg., 49, 1932, p. 123.) ..... *štorkáni* Balth.

4 Clypeus ruga transverali plus minusve arcuata, elytra semper nigra vel picea, apice interdum brunnescentia aut rufescentia 5

— Clypeus sine ruga transversali, elytra aut nigra vel picea, aut aliter colorata 8

5 Elytris etiam apice nitidis aut fere nitidis, quamvis eodem loco interdum paulo reticulatis 6

— Elytris apice vel omnino alutaceo-reticulatis, opacis 7

6 Elytris striis validis, fortiter punctatis, punctis transversis, in interstitia distincte penetrantibus, interstitiis minute sed manifeste, latera et apicem versus sat copiose punctatis, metatarso tribus articulis sequentibus breviore. Long. 4—5 mm. — China, Szetchwan. (W. Ent. Ztg., 49, 1932, p. 118.) ..... *tenax* Balth.

— Elytris subtiliter striatis et minute punctatis, marginibus interstitiorum fere intactis, interstitiis minute punctatis, metatarso tribus articulis sequentibus aequilongo. Long. 5 mm. — Japan, Korea, China. (Tr. Ent. Soc. Lond., 1895, p. 83.) ..... *nigerrimus* Waterh.

7 Clypeo ruga transversali bene distincta, genis rotundatis, thorace nitido, scutello triangulari, magno. Long. 3,5—5,5 mm. — Europa centr. et bor., Sibiria occid. et orient. (Mém. Hist. Ins. v. 4. 1774, p. 270). ..... *ater* Geer.

— Clypeo ruga transversali minus distincta, genis subangulatis, corpore omnino peropaco, scutello parvo. Long. 3,5—4 mm. — China, Szetschwan. (Copr. Col. China, Lingnan Sc. Journ., 7, 1929.) .... *surdus* Bouc.

8 Elytris nigris vel piceis, apice et lateribus interdum brunescentiis 9

— Elytris fulvis, brunneis aut rufis, interdum obscure maculatis aut vittatis, aut nigris, sed distincte basi et apice decoloratis, pallidis 10

9 Thorace etiam disco valde inaequaliter punctato, scutello latiore, striis profundis et acutis, normaliter non crenato-punctatis, interstitiis planis, metatarso manifeste duobus articulis sequentibus longiore. Long. 4 mm. — Japan (Tr. Ent. Soc. Lond., 1875, p. 84) ... . *uniformis* Waterh.

— Thorace disco fere absque punctis maioribus, tantum subtilissime punctato, striis minus profundis, subtiliter, sed distincte crenato-punctatis, interstitiis subconvexis, metatarso duobus articulis sequentibus aequilongo. Long. 4,8 mm. — Mandschukuo .... *bardus* n. sp.

10 Elytris apice distincte reticulatis et opacis, thorace omnino sat dense, minute et fere aequaliter punctato, elytris subtiliter striatis et minute punctatis, interstitiis planis, minute sed distincte, sat dense punctatis, rubris, duobus vel tribus interstitiis dorsalibus nigris, plaga nigra apice abbreviata. Long. 3—4,5 mm. — Sibiria orientalis, pagus flum. Amur. (Bull. Soc. Mosc. v. 25/IV, 1852, p. 299) .... *vittatus sellatus* MANNERH.

— Elytris apice laevibus, vel tantum indistincte reticulatis, nitidis. Coloratio elytrorum dissimilis 11

11 Elytris brunneis vel fulvo-rufescentibus, unicoloribus, vel piceis, rubromaculatis 12

— Elytris fulvobrunneis, obscure maculatis, maculis bene delimitatis. Thorace lateribus confertim, disco sparsius, omnino distincte inaequaliter punctato, elytris crasse et profunde striatis, punctis in interstitita penetrantibus, interstitiis convexis, disco subtiliter et sparse apice lateribusque densius et sat fortiter punctatis. Long. 4,5 mm. — China mer. (Ent. Bl. 37, 1941, p. 86) ..... *bollowi* BALTH.

12 Elytris interstitiis insigniter convexis, apicem versus subcostatis, vix perspicue punctulatis, striis validis, fortiter crenatopunctatis, thorace sat dense, inaequaliter punctato. Brunneus, clypeo antice pallide-ferrugineo. Long. 5,5 mm. — Wladiwostok. (Ent. Bl. 31, 1935, p. 121) ..... *inexspectatus* BALTH.

— Elytris flavis vel levissime tantum subconvexiusculis 13

13 Pernitidus, genis parvis, vix prominulis, thorace disco remote punctato, punctis nonnullis valde maioribus intermixtis, elytris subtiliter striatis, punctis striarum vix perspicuis. Tarsis posticis brevibus, metatarso calcari apicali paulo breviore, duobus articulis sequentibus vix aequilongo. Capite thoraceque brunneo, elytris luteoferrugineis, interstitio juxtasuturali obscuriore. Long. 4 mm. — Transbaikalia. (Ent. Nachrbl. VI, 1932, p. 40) ..... *pečírkai* BALTH.

— Minus nitidus, elytris subtilissime reticulatis. Genis distincte prominulis, thorace etiam disco sat dense punctato, punctis maioribus intermixtis, minus copiosis, elytris subtiliter striatis, striis minute, sed distincte punctatis, tarsis posticis gracilioribus, metatarso calcari apicali superiori longiore, tribus articulis sequentibus subaequilongo. Capite et thorace obscure brunneo, elytris pallide rubrobrunneis (aut piceis, basi apiceque sanguineomaculatis: ab. transitus Reitt.) Long. 4—5 mm. — Europa, Sibiria. (Nat. Ins. Käf. v. 2, 1789, p. 160) ..... *putridus* HERBST.

Aphodius (Bodilus) iranicus n. sp.

Oblongus, elytris pone medium summam latitudinem attingentibus, glaber, nitidus, elytris apice minutissime tetuculatis, capite piceo, marginibus rufescentibus; thorace obscure brunneo, lateribus latissime flavolimbatis, callo laterali nigrescente, scutello fulvobrunneo, elytris fulvis, sutura extrema nigrescente; subtus fulvo-brunneus, femoribus pallidioribus.

Capite omnino sat dense, paulo inaequaliter, haud minute, antice fere rugulose punctato, medio ante lineam frontalem elevato, linea subca-

rinata, obsolete trituberculata; clypeo antice late sed leniter emarginato, utrinque rotundato, sine excissura preagenali, genis sat parvis, oculos parum superantibus, setis longis luteis ornatis. Thorace omnino sat sparse, minute punctato, punctis paulo maioribus non ita numerosis intermixtis, lateribus (superne visis) paulo rotundatis, longe pallide ciliatis, angulis posticis rotundatis, basi marginata. Scutello triangulari, basi non admodum lato, disperse punctato. Elytris absque denticulis humeralibus, striis subtilibus, minute, vix crenato-punctatis, stria iuxtasuturali apice profundiore, interstitiis leviter convexis, minute sed distincte (apice minus distincte) punctulatis. Abdomine pilis longis pallidis, errectis instructo. Tibiis anticis extus valide tridentatis, ad basim manifeste serrulatis, calcare apicali valido, calcare inferiori tibiarum intermediarum manifeste curvato, tibiis posticis apice setis aequilongis munitis, metatarso calcaribus ambobus aequilongibus breviore, articulis duobus sequentibus paululo longiore. Antennarum clava fulvobrunnea.

Long.: 7 mm.
Patria: Persia, Beludschistan.
Typus in collectione mea.

Haec nova species *Aph.* (*B.*) *longeciliato* Reitt., *Aph.* (*B.*) *longispinae* Küst. et *Aph.* (*B.*) *lugenti* Crtz. valde proxima apparet. A specie prima lateribus corporis non insigniter longeciliatis, interstitiis convexis et elytris omnino glabris, a specie secunda, quae potius ad subgenus Cinacanthus pertinet, capite densius et subrugose punctato, minus lato, interstitio primo non tectiformi et tarsis posticis insigniter brevioribus, a specie ultima dein capite subrugose punctato, striis subtilioribus, interstitiis minus distincte punctulatis, apice elytrorum subnitido et metatarso breviore differt.

Aphodius (Nialus) praestes n. sp.

Oblongo ovatus, elytris pone medium sat ampliatis, glaber, nitidus, capite antice fulvo-ferrugineo, thorace fulvo, plaga discoidali brunnea, elytris flavis, sutura et striis paulo obscurioribus, subtus maxima parte fulvoferrugineus, pedibus fulvis, clarioribus.

Capite inermi, linea frontali impressa, distincta, antice minutissime remoteque, postice paulo densius et distinctius punctulato, clypeo antrorsum unacum genis levissime arcuato, antice levissime emarginato, utrimque late rotundato, medio ante lineam frontalem parum elevato, genis rotundatis, oculos distincte superantibus. Thorace disco sparsius, lateribus densius, inaequaliter irregulariterque punctato, linea mediali longitudinali anguste laevigata, lateribus (superne visis) parum rotundatis, distincte marginatis, margine striam 5. attingente, basi immarginata, angulis posticis distinctis, rotundatis. Scutello sat lato, ad basim fere parallelo, eodem loco punctis parvis piliferis notato. Elytris sine denticulo humerali, striis angustis, punctis minutis, transversis, leviter tantum in interstitiia penetrantibus, instructis, apicem versus profundioribus et latioribus, interstitiis convexis, apice magis elevatis, indistincte sparsissimeque punctulatis. Abdomine pilis sat longis, pallidis, fere adiacentibus ornato. Tibiis anticis extus tridentatis, dein ad basim serru-

latis, tibiis posticis apice setis aequilongis munitis, metatarso calcari apicali superiori aequilongo, duobus articulis sequentibus paulo longiore.

Long.: 4,5 mm.

Patria: China, prov. Szetschwan. H. G. Schmidt leg.

Typus in collectione mea.

Haec nova species ob suum caput inerme, clypeum utrimque rotundatum, colorationem generatim pallide fulvam valde insignis, primo visu *Aph.* (*N.*) *sturmi* Har. et *Aph.* (*N.*) *subtili* D. Kozh. affinis apparet, sed ab ambabus speciebus, quae Europam incolunt, in multis signis gravibus tantopere dissimilis est, quod una comparatio copiosa inutilis mihi videtur.

Aphodius (Nialus) hoabinhensis n. sp.

Oblongus, elytris fere parallelis, valde convexus, pernitidus, glaber. Fulvus vel pallide fulvobrunneus, capite medio et postice brunneo, thorace disco plaga magna brunnea, interdum marginem anticum attigente, scutello obscuro, elytris interstitio primo toto brunneo, utrimque plaga magna, nebulosa, interstitium 3.—7. occupante, brunnea; callus humeralis, latera et apex fulvus manet. Subtus fulvo-brunneus, femoribus fulvis, tibiis obscurioribus.

Capite minute sparseque, antice paulo irregulariter, postice sparsius punctulato, linea frontali apud ♂ validius, apud ♀ minus valide trituberculata, tuberculo medio robustiore, vertice post id excavato, tuberculis lateralibus transversis, minutis. Clypeo antice emarginato, utrimque reflexo, rotundato, genis parvis rotundatis, paulo prominulis, oculos non superantibus. Thorace omnino punctis minutissimis et sparsissimis ornato, punctis aliquanto maioribus dispersis, disco fere absentibus, intermixtis; lateribus (superne visis) regulariter rotundatis, angulis posticis rotundatis, basi emarginata. Scutello angustato, antice parallelo, fere laevigato. Elytris absque denticulo humerali, striis angustis, minute punctatis, stria iuxtasuturali apice magis impressa, interstitiis leviter convexis, sparsissime et levissime punctulatis. Abdomine pallide piloso. Tibiis anticis extus tridentatis, ad basim serrulatis, tibiis posticis apice setis aequalibus munitis, metatarso calcari apicali superiori subaequilongo, duobus articulis sequentibus aequilongo. Antennis clava obscure fulva.

Long.: 4 mm.

Patria: Tonkin, Hoa Binh (A. de Cooman leg.) et India or., Madras.

Typi in collectione Dom. Cons. G. Frey (Monachium) et in collectione mea.

Haec nova species, *Aph.* (*N.*) *livido* Oliv. valde proxima, praesertim *Aph. sublimbato* Motsch. maxime similis est, quocum faciliter confusa esse potest. *Aph. sublimbatus* usque ad hodiernum diem per errorem unus *Nialus* putabatur, sed secundum thoracem subtiliter marginatum unus *Calamosternus* agitur. Nostra nova species differt igitur ab *Aph.* (*Calamosternus*) *sublimbato* Motsch. praecipue thorace non marginato, capite subtilius punctulato et thorace punctis maioribus paulo rarioribus ornato. *A.* (*N.*) *hoabinhensis* m. una species regionis orientalis esse vide-

tur, contra *A.* (*C.*) *sublimbatus* MOTSCH. versimiliter solum ad faunam palaearcticam (subregionis sinicae) pertinet; nam specimina multa collectionis meae omnino ex Japonia, ex pago ussurinse, Mandschukuo et ex China septentrionali orta sunt. In litteratura invenimus quod haec species etiam insulam Formosa et pagum Kambodja incolit, sed, ut puto, hac in re nostra nova species agitur.

Aphodius* (*Trichaphodius*) *kratochvíli ab. ***concitator*** n.

A forma typica insigniter colore obscuro differt. Obscure brunneus, clypeo antice utrimque macula ferruginea indistincta, thorace lateribus late flavo-limbato, elytris apice et una macula praeapicali indistincta, diverse formata, interdum callo humerali et lateribus fulvo-brunneis.

Patria: Mandschukuo: Charbin, Maverschan.